

DE SIGNIFICATIONE PLANETARVM

cipis. Et si fuerit in angulo, aut succedenti, aut in signo masculino, dat conditionem magnam in exercitu. Si autem fuerit in signo foeminino, dat minus stipendium, uel minorem conditionem in bello.

In Solis domicilio, facit hominem sapientem, bono ingenio praeditum, amatum a magnis uiris, & a populo. Et si fuerit in angulo, aut succedenti, praecipue autem de die, erit Rex, aut similis regi.

In domicilio Veneris, dat amicitiam, & negocia cum nobilibus, & laeticiam, & magnam utilitatem a mulieribus, aut erit magnus in religione, & honoratus, habebitque magnas diuitias ecclesiasticas.

In Mercurij domicilio, facit hominem doctum, magnum mercatorem, fidelem, acquirat diuitias plures, quam sui socij, & consanguinei.

In Lunae domicilio, in angulo, aut succedenti, dat practicam cum magnis uiris, erit homo multum fortunatus, cognitus per multas regiones.

De Marte,



Ars in domicilio Saturni, facit audacem, finiet quidquid incipiet, usurpabit rem familiarem consanguineorum, morientur ipsi fratres maiores. In Iouis domicilio, facit natum nobilem, amatum magnis dominis, erit magnus ductor exercituum, maxime si Iupiter fortunatus in domicilio Martis existat.

In domicilio proprio, erit magnus rationalis Geometra, maxime in nocturna genesi. In diurna si non aspexerit Iouem, aut Venerem, erit malignus, & uidebit alios cum superbia, habebit dolores occultos, & cadet ab alto.

In Solis domicilio, significat destructionem nati, infirmitatem, & dolores oculorum, & stomachi. Mors eius erit subitanea, aut occidetur per ferrum, aut ignem, morietur extra patriam, delectabitur in uita sua in rebus de ferro, & igne.

In Veneris domicilio, facit hominem furiosum, qui rem habebit cum consanguineis, uel ducet sponsam unam, quam primo stuprauerit, unde illi ueniet malum. Sed in Tauro dat falsitates, & traditamenta. In Libra, dat uulnera ex ferro, uel igne, in loco cooperto.

In Mercurij domicilio, facit pigros, & negligentes, sed prudentes, & astutos, vincet socios malicia, lucrabitur malo animo, faciet res falsas cum penna, & falsas scripturas, docebit artem sagittariam, & militiae, negociationes, & contentiones, & perdet res multas.

In Lunae domicilio, facit hominem leuem ingenio, quaeret res subtiles, & profundas, erit audax facere mala, in loco occulto patietur malum & in oculis, dissipabit rem matris, quae habebit longissimam infirmitatem.

De Sole



Sol in domicilio Saturni, in diurna natiuitate, significat quod erit perfectus in omnibus suis operibus, In nocturna genesi sic polito sole, natus erit instabilis.

Si idem fuerit in Iouis domicilio, erit magnus in Ecclesia, erit maior domus suae, luxuriosus, & fornicator, habebit rem cum consanguinea.

In Martis domicilio dat infirmitates in epate, pater morietur pessima morte, quando fuerit in Scorpione, sed in Ariete, significat exaltationem nati, & pater eius non morietur mala morte.

In domicilio proprio, in angulo, aut succedenti de die, facit regem, aut magnum